

18
1
58

~~C. 11. 58.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58.
SIGNAT. clvcccxiii.

AD
**ACTUM DISPUTA-
TORIUM**

IN
Lycéo Torgensi

d. 26 Septembr. 1695.

POST SACRAMATUTINA
HABENDUM,

DOMINOS SCHOLARUM
PATRONOS FAUTORES ATQVE
AMICOS,

Omnium Ordinum, ut multa pau-
cis includamus,

Honoratissimos

Officiosissime obnixissimeqve
invitat

M. GOTHOFREDUS Steinbrecher /

Rector.



TORGÆ,
Prælô HEMPIANO.



Studii Philosophici Campus uti patet latissimè: ita variis, imò ambiguis ipsum decurri passibus passim deprehendimus. Sunt enim qvi acutissimis vexatissimis-
qve Philosophiæ Qvæstionibus delectati, florentissimam & gravioribus longe qve utilioribus Studiis tractandis aptissimam, in addiscendis, exhaustiendis & decidendis istis subtilitatibus consumunt, conterunt, easqve teneræ etiam juventuti in Scholæ subselliis adhuc hærenti propinant, inculcant non sine ingenti temporis studiorum-
qve magis necessariorum jacturâ. è quibus familiam olim duxerunt Scholastici, qvos eapropter B. Lutherus ita compellat: *Qvæstiones si vestra ac distinctiones cælum reserarent, eas aliquo loco numeroq; haberem; cum autem ad rem nihil faciant, ad frivola rectè easdem refero.* Profectò si Academiæ, qvos dicunt Candidati, Scholam cum illustri classicam mutaturi, illud Megalandri nostri dictum sibi putarent: accuratiorem fanè studii Academici rationem essent habituri. Id qvod ipse si scivissem: & mihi, novello olim

lim Academico dictum putassem : nam mihi non satis erat absolvisse integrum Philosophiæ Cursum sub ductu Dn. mei ALBERTI, S.S. Theologiæ Doctoris celeberrimi nec non Logicæ ac Metaphysicæ Professoris fidelissimi : non satis erat audivisse nervosissimum Dn. L.SCHMIDIUM : non satis, acutissimum Dn. D. WEIDLINGIUM, &c. & omnes Philosophiæ Definitiones, Quæstiones Canonesqve per exercitium disputatorium, intra privatos Musei parietes institutum, in succum quasi & sanguinem convertisse : sed volupe etiam erat mihi, jam trium Studioso annorum, repetivisse integram Philosophiam, cum illud Musarum Oraculum ac eloquentiæ Miraculum, meus SEELIGMANNUS in Lipsiensium Horizonte exoriri cœpisset, ita ut per priores quatuor vitæ meæ Academicæ annos Philosophiæ &, quam cum illa conjungebam, Philologiæ immerfus, nulla re magis, quam distinctiunculis Philosophicis nec non exercitiis disputatoriis (quam etiam ob rem vel uno semestri Cathedram Philosophicam vice plus simplici conscendebam, quod quidem præfiscini dictum velim) delectarer, imprimis cum provinciam juventutis adultioris & provectoris informandæ in Scholâ tam classica Merseburgensi, quam

quam illustri Lipsiensi, ex animi sententiâ na-
ctus, indies haberem, quò alia studia humanio-
ra & politiora, Historiam, Geographiam & id
genus alia in memoriam revocare &, quod di-
citur, docendò discere poteram. Sed, cum tan-
dem Studio Theologico & Homiletico deditus,
& insequente anno quinto, laurò, quam dicunt,
Magisteriali donatus, verba de suggestu, habitu-
ro mihi aquam hæere deprehenderem, ac pro-
inde, nisi Cœli gratiâ per novem annos Acade-
miæ castris immorari licuisset, procul dubio mi-
ferrimè miseris modis Postillas peregritare, quod
fertur, debuissim: gratulabar quidem mihi tem-
pus cum otiosis fucis non malè contritum; ni-
hilo tamen minus sentiebam me multa in spem
futuræ oblivionis didicisse. Proinde animò mu-
tatò, non planè ponebam Studium Philosophi-
cum, siquidem indies occasio istud tractandi, re-
colendi suppetebat; interim satius arbitrabar,
tùm suppellectili me meæ librariæ abdere, tum
Dn. Studiosis erudiendis vacare, quam singulis
horis sursum deorsum cursitare & Disputationi-
bus indies interesse (quamvis ab eruditorum col-
legiis & consortiis non abhorrerem, quippe in
magna felicitatis parte ponens, ipsorum erudi-
ri colloquiis;) adeò ut hic & ille Magistellus,

):(3

unum

unum itemq; alterum animal disputax, nec pau-
ci, quibus, cum ipsi à limine Academiam salu-
tassent, mea studia non satis nota erant, aut in
malam partem id raperent, aut, ita ut dicere con-
sueverant, non esse me Philosophum temerè pro-
nunciarent. Quibus autem rebus nihil ego mo-
tus, rectius meaq;ve Magistri, quem numero sa-
tis numeroso Dn. Studiosi indices adiere, audié-
re, personâ dignius judicabam, Bono publico
inservire, quam cum aliis errare, qui quidem no-
men titulumq;ve Philosophi acutissimi scilicet,
nacti, at per illam ne panem quidem lucrantur,
annis obsiti Philosophi; aut Academiam relin-
quere & vel Ecclesiæ vel Scholæ præesse jussi, nil
nisi Philosophi sunt, nec proinde publico arduo-
q;ve officio, cum fructu & laude fungendo satis
idonei. Ut autem hi modum philosophandi
excedunt: ita nec eorum ulla est penuria, qui in
defectu peccantes, Philosophiæ Studium ex Scho-
lis & Academiis relegatum, extirpatum, quin &
ipsam Logicam Discentium manibus excussum
eunt, quò fit, ut juvenes Studiosi in Academiis
ne assumendo quidem, nedum resolvendo syl-
logismo sint, eaq; propter, aliis se Studiosis mi-
scere veriti, absterriti, à culturâ Philosophiæ ab-
horreant & pede sicco vel Theologiæ, vel Juris,
vel

vel Medicinæ campum decurrant, quippe rati aliorumque judiciis cœcati, Philosophiam spirare parum & utilitatis & jucunditatis.

Quibus ego recta mecum viâ reputatis, medio tutissimum ire Juvenem putavi, si sobrium Philosophandi Studium, idque NON SECTARIUM, ut in verba Aristotelis aliorumque jurare, aut obscuris Definitionibus, Quæstionibus immorari, immoriqve gestiat, sed ELECTITIUM sibi habeat quam commendatissimum, qua etiam propter Discipulis istud meis de nota semper meliori commendavi ipsiusque insignem & Utilitatem & Necessitatem ob oculos posui, ideoque præter præscriptam Logicam, quendam cum ipsis Discursum hætenus communicavi, imprimis cum nonnulli in amplexibus diutius hæere meis gestiant, quippe aliquando futuri re & nomine Studiosi, doctosque inter & laudatos haud postremi. Quos itaque & jam ad nobilissimum illud studium inflammaturus, ex jam dictis erundas, quæ sequuntur, Theses inque easdem quendam Actum disputatorium instituendum rectè putavi, in quo se sistent nonnulli bonæ Indolis optimæque spei Juvenes

JOHANNES JACOBUS PAUCKISCHIUS, Crai-
schenfis Misnic.

CHRI-

CHRISTIANUS FLEMMING, Gub. Lusat.
qvi, me Rectore præfide, partes RESPONENTIUM;
JOHANNES CHRISTIAN. RICHTER, Mühl-
berg. Misn.
CHRISTOPHORUS MICHAEL KREBS, Dieben,
Misn.
JOHANNES CASPAR. Schulze/ Torg. Misn.

Qvi partes OPPONENTIUM sustinebunt, & quidem con-
tra sequentes

Theses.

I.

Philosophia est Cognitio omnium rerum per Causas.

II.

Philosophia ejusqve Species, Logica, Metaphysica,
Phyfica &c. omnibus solidam scientiam sibi pol-
licituris, & imprimis futuro Theologo necessa-
ria est & utilis.

III.

Philosophia dividitur in Theoreticam, quæ consistit
in Contemplatione; & Practicam, quæ pro fine
habet Actionem.

V.

Philosophia ELECTIVA, quâ quis optima quæqve
sibi eligit, præferenda est SECTARIÆ, quæ quis
certum

certum Ducem secutus, ejusque Præceptis in-
nixus, in verba Præceptoris sui jurat.

V.

Logica est vel NATURALIS, omnibus hominibus à
naturæ Autore infita, vel Artificialis, quæ est
Habitus Mentis instrumentalis, mentis nostræ
discursum informans, ut verum à falso accura-
tè possit discerni.

VI.

Logica Artificialis differt à Naturali, & hâc est per-
fectior.

Quod restat, in votis magis nihil & optatis habemus,
quàm ut Domini Musarum Patroni atque Amici,
omnium Ordinum honoratissimi, honorificâ suâ
præsentia benevolaque audientia conatus no-
stros comprobent, quo de nulli dubitamus, quip-
pe tantam Gratiam ac Benevolentiam, quovis,
quâvis oblata occasione, officiorum genere de-
merituri. Dab. Torgæ d. 25. Septembr. 1695.



Ung. VI 58 (11)

ULB Halle

3

002 686 287




5b,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







52

AD
**ACTUM DISPUTA-
TORIUM**

IN
Lycéo Torgensi
d. 26 Septembr. 1695.


POST SACRAMATUTINA
HABENDUM,

DOMINOS SCHOLARUM
PATRONOS FAUTORES ATQVE
AMICOS,

Omnium Ordinum, ut multa pau-
cis includamus,

Honoratissimos
Officiosissime obnixissimeqve
invitat

M. GOTHOFREDUS Steinbrecher /
Rector.



TORGÆ,
Prælô HEMPIANO.

